

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXVI - N. 2

---

1994

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1994

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### ALLOCUTIONES

|                                                                                                                                                                                                 |     |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Ex allocutione Summi Pontificis ad sodales consociationis internationalis iuri canonico promovendo . . . . .                                                                                    | 155 |
| Ex allocutione Summi Pontificis ad eos qui conventui de «I cattolici e la società pluralista. Il caso delle leggi imperfette» a Congregatione pro Doctrina Fidei promoti interfuerunt . . . . . | 157 |

## ACTA CONSILII

|                                                                    |     |
|--------------------------------------------------------------------|-----|
| Responsio ad propositum dubium . . . . .                           | 159 |
| Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae . . . . . | 161 |
| Pontificii Consilii Publicationes . . . . .                        | 162 |

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

|                                                                                                                                                    |     |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Epistula ad Catholicae Ecclesiae Episcopos de receptione Communionis Eucharisticae a fidelibus qui post Divortium novas inierunt nuptias . . . . . | 163 |
| Responsa ad proposita dubia circa «interclusionem uteri» et alias quaestiones . . . .                                                              | 169 |

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

|                                                                    |     |
|--------------------------------------------------------------------|-----|
| Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio VIII) . . . . . | 171 |
| Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio IX) . . . . .   | 199 |

## EX ACTIS COMM. CARDINALITIAE PRO STUDIIS PRAEPARATORIIS CODIFICATIONIS ORIENTALIS

|                                                                                   |     |
|-----------------------------------------------------------------------------------|-----|
| «Codificazione Canonica Orientale» (1926-1935). Verbalis delle Adunanze . . . . . | 234 |
| Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . .                                    | 333 |
| Notitiae . . . . .                                                                | 335 |

## II

COETUS STUDII  
« DE INSTITUTIS PERFECTIONIS »

## Sessio IX

(dd. 25-30 maii 1970 habita)

Diebus 25-30 maii 1970, in Aula huius Pontificiae Commissionis conveniunt Consultores Coetus studii « De Institutis perfectionis » sub directione Rev.mi P. Raimundi Bidagor S.J., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant Rev.mus Relator; Exc.mi quinque, Rev.mi octo et Ill.mus unus Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Legitime impediti, aberant Exc.mus unus ac sex Rev.mi Consultores.

Notitiae dantur a Rev.mo Secretario et a Rev.mo Relatore circa labores parvi coetus, qui canonum schemata praeparavit. Haec schemata — nempe « De cooptatione in Institutum », « De cooptatorum institutione » atque « De obligationibus Institutorum eorumque sodalium » — inveniuntur in relatione introductiva Rev.mi Relatoris (cfr. Adnexum), una cum notis explicativis quae singula schemata et canones respiciunt.

Antequam vero praedicta schemata Consultorum examini submittantur, quaeritur an quis animadversiones vel additiones proponendas habeat circa Relationem conclusivam praecedentis sessionis.

Rev.mus primus Consultor proponit ut, in p. 19, lin. 5 dicatur « post novitiatum » (loco « in novitiatu ») et in linea 8 eiusdem paginae dicatur « cooptatio temporaria » (loco « novitiatus »).<sup>\*</sup> Praeterea, Exc.mus secundus Consultor proponit ut, in ipsa pagina 19, norma quae venit sub n. 2 ita exaretur: « permissio detur ut pro casibus specialibus alio modo provideri possit ».

I. ANIMADVERSIONES GENERALES  
AD RELATIONEM INTRODUCTIVAM

Exc.mus secundus Consultor nec opportunum nec prudens esse censet ut in Codice nihil ponatur circa obligationes singulorum votorum seu

<sup>\*</sup> Cfr. In hoc volumine p. 187.

consiliorum. Ad vitandas enim confusiones et anxietates, non expedit ut haec quaestio relinquatur iuri particulari Institutorum. Respondet Rev.mus Relator hanc quoque fuisse mentem parvi coetus, qui tamen eas obligationes proponere noluit ante disceptationem in coadunatione totius Coetus.

Animadvertit Exc.mus tertius Consultor nullam in titulo V contineri obligationem Institutorum qua talium erga Ecclesiae hierarchiam. Respondet Rev.mus Relator hoc loco agi tantum de aliqua obligatione generali relate ad universam Ecclesiam; deinde vero, praesertim cum de Institutis vitae apostolicae agendum sit, haec propositio prae oculis habebitur.

Plerique Consultores existimant generalem dispositionem materiae approbari posse, et ideo animadversiones particulares faciendas esse cum de singulis canonibus agatur.

## II. QUAESTIO DE RUBRICIS (cfr. pp. 1-2 Relationis introductivae)

Postulat Rev.mus quartus Consultor ut in Art. 1 Tituli V dicatur: «De requisitis *in* candidatis admittendis», ne per verbum *ad* intelligatur significari requisita in personis quae candidatos admittunt. Huic animadversioni alii accedunt Consultores, qui proponunt ut, ad mentem Codicis, titulus ita exaretur: «De requisitis ut quis admittatur in Instituto». Obiicit tamen Rev.mus quintus Consultor his in canonibus revera agi de requisitis tum ex parte candidatorum tum quoque ex parte eorum qui eos admittunt, quapropter servandum esse existimat titulum prout iacet.

Rev.mus primus Consultor proponit emendationem totius materiae, ita ut simpliciter dicatur «De sodalium admissione». Animadvertit autem Rev.mus Relator in hoc titulo V non tantum agi de prima admissione, sed etiam de secunda seu de cooptatione in Institutum.

Demum, proponente Rev.mo quinto Consultore, approbatur ab omnibus ut Art. 2 ita enuntietur: «De requisitis ad candidatos recipiendos».

Pariter ab omnibus approbatur ut Tit. VII («De Institutorum actione apostolica») ex hac parte schematis expungatur.

Quoad Tit. IV («De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione») opportunum existimatur ut alio momento consideretur utrum hic titulus necessarius sit, an aptius haec quaestio solvenda sit in adunatione mixta cum Coetu «De iure patrimoniali», immo vero, an huic Coetui mittendae sint quaedam normae particulares a nostro Coetu statutae, ut in parte Codicis includantur ubi universa materia de bonis Ecclesiae temporalibus pertractetur.

Placet Consultoribus ut haec quaestio pertractetur post examen partis generalis schematis de iure Institutorum perfectionis.

Aliae quaestiones quoad rubricas non proponuntur, et ideo examini subiiciuntur schemata canonum in Relatione introductiva proposita.

### III. DE COOPTATIONE IN INSTITUTUM

Leguntur omnes canones huius Art. III, et hae fiunt animadversiones:

#### *Can. 1*

#### *Quoad § 1*

Exc.mus sextus Consultor desiderat ut textus modo magis praeceptivo exaretur, nempe: «Modi quibus novitii in Institutum cooptentur iure particulari determinantur». Hoc tamen non videtur necessarium.

Exc.mi tertius et secundus Consultores quaerunt utrum verbum «modo» intelligendum sit tantum sensu liturgico necne. Respondet negative Rev.mus Relator, quia hoc verbum praesertim significare intendit omnes actus iuridicos bilaterales a Moderatoribus et a novitiis ponendos.

Adiungit Exc.mus secundus Consultor cooptationem non esse simplicem inscriptionem, utpote quae secumferre debeat professionem consiliorum. Respondet autem Relator, et concordant omnes, de hoc iam satis agi in canone 2 § 2 schematis propositi.

Rev.mus primus Consultor censer hunc canonem non esse necessarium, quia eadem ideae exprimuntur in canone 8 § 2. Respondet vero Rev.mus quintus Consultor materiam horum duorum canonum esse diversam, quia in primo agitur de modo procedendi in ipso actu cooptationis.

Rev.mus septimus Consultor proponit hanc redactionem pro § 1: «Nemo in Institutum cooptetur, nisi modo a iure particulari praescripto». Haec animadversio placet omnibus, exceptis Exc.mo sexto et Rev.mis octavo et primo Consultoribus.

#### *Quoad § 2*

Animadvertunt Rev.mi nonus et primus Consultores quasdam ideas huius paragraphi iam contineri in canone 2 § 3. Respondet autem Rev.mus Relator materiam esse diversam, quia in canone 1 agitur de omnibus formis cooptationis, dum in canone 2 § 3 agitur de cooptatione extraordinaria atque etiam de cooptatione temporaria. Adiungit Rev.mus quintus

Consultor, et accedunt alii Consultores, postrema verba canonis 2 § 3 retinenda esse, quia agunt de cooptatis qui nondum assumunt obligationem consiliorum, et ideo oportet ut expresse definiatur oboedientia erga legitimum moderatorem.

Postulant Exc.mus tertius et Rev.mus quintus Consultores ut haec § 2 sic modificetur: «... sub legitima auctoritate servandis». Hoc placet omnibus.

Fit demum suffragatio de § 2, quae placet omnibus, excepto Rev.mo primo Consultore.

### *Quoad § 3*

Quaerit Exc.mus tertius Consultor ad quod subiectum referatur verbum «suum». Respondet Rev.mus Relator ipsum praesertim referri ad Institutum, quod nempe curam assumit ut sodalis attingat finem suum particularem intra finem generalem proprium Instituti.

Desiderat Exc.mus secundus Consultor ut dicatur «obligationem assumit», loco «curam assumit», quo clarius pateat sensus huius paragraphi. Rev.mus Relator censet verbum «obligatio» forsitan non bene sonare pro novitiis, licet verbum «curam» non satis exprimere videatur Instituti obligationem, quae nascitur ex contractu, et ideo ex iustitia. Praeterea placet omnibus ut textus servetur uti est, quia obligatio iustitiae satis innuitur per verba «novo titulo».

Postulat Rev.mus primus Consultor ut dicatur: «In omni cooptatione...», sed hoc non videtur necessarium.

Rev.mus quintus Consultor aliam formulam suggerit, nempe: «In cooptatione Institutum sodalem ad suum finem perducere debet iuxta statuta». Exsistimat tamen Rev.mus septimus Consultor verbum «curam» servandum esse, quia agitur de re spirituali, quae hoc modo melius exprimitur quam per referentiam ad ius strictum.

Fit demum suffragatio de hac paragrapho, dempto tamen in initio verbo «In», et textus placet septem Consultoribus. Non placet vero Exc.mis tertio, sexto et secundo atque Rev.mo primo Consultoribus;

### *Can. 2*

#### *Quoad § 1*

Obiiciunt Exc.mi tertius et secundus Consultores verba «nisi aliud iure expresse caveatur» intelligi posse ac si ius particulare possit illud tempus restringere vel protrahere.

Animadvertit Rev.mus octavus Consultor textum canonum 1 et 4 col-

latum cum hoc canone 2 permittere videri ut quis ad professionem perpetuam ne admittatur nisi post 12 annos, quod non est iustum, quapropter suggerit ut dicatur: « nec triennio brevius nec novennio etsi prorogato longius sit ». Hoc tamen non placet, quia, uti dicit Rev.mus Relator, textus non accommodatur ad Instituta perfectionis quae non sunt Instituta religiosa.

Ill.mus decimus Consultor censet textum propositum in schemate bene respondere ad formam vitae consecratae quae propria est Institutorum saecularium, et expedire existimat ut in lege communi prae oculis habeantur omnia Instituta perfectionis.

Postulat Rev.mus primus Consultor ut dicatur « iure particulari », loco « iure » atque etiam « post expletum novitiatum », loco « exacto novitiatu ». Aliis vero Consultoribus hae animadversiones non placent; quia, ad ius particulare quod attinet, de hoc agendum erit in parte schematis ubi de diversis statibus perfectionis. Secunda vero animadversio idem dicere videtur ac textus propositus.

Fit ergo suffragatio, et omnibus placet textus huius paragraphi.

#### *Quoad § 2*

Postulat Rev.mus septimus Consultor ut dicatur « ... sodales *saltem implicite* tria consilia evangelica... », quia sic consulitur conditioni monachorum. Respondet tamen Rev.mus Secretarius, et accedunt alii, hanc formulam sibi non placere, quia Instituta quae tempore futuro condantur assumere possent modalitates quae valde difficile intelligerentur, et hoc est periculum pro natura et substantia vitae consecratae.

Manifestat Exc.mus secundus Consultor quibusdam iuvenibus hodie divisionem hanc strictam trium consiliorum minus placere, eosque praeoptare alia vota, qualia sunt ex. gr. « vivendi in communitate », vel « sequendi Christum », etc. Respondet tamen Rev.mus Relator et alii Consultores hic agi de vita consecrata, quae sub aspectu theologico clare definita est et ab Ecclesia publice recognoscitur. De hac quaestione iam actum est a nostro Coetu, et solutio data est iuxta praescripta Constitutionis *Lumen gentium* et Decreti *Perfectae caritatis*. Si enim desunt hae conditiones fundamentales, non habetur vita consecrata iuxta notionem a Concilio Vaticano II traditam.

Adiungit Rev.mus quintus Consultor dubium non esse quin Concilium Vaticanum II omnino confirmaverit tria consilia evangelica, per vota vel alia sacra vincula firmata, esse elementa substantialia status vitae consecratae. Iam tempore Concilii disceptatio fiebat circa has theorias, sed normae conciliares clarae sunt, et nunc oportet ut elementa substantialia a



Concilio sancita in suo robore permaneant. Cum his dictis concordant ceteri Consultores.

Exc.mus secundus Consultor memorat praxim S.C. de Religiosis et Institutis saecularibus esse ut distinctio fiat inter formulam professionis et praxim consiliorum, ita ut admitti possint formulae professionis sat vagae, dummodo in Constitutionibus clare constet praxim trium consiliorum. Hac de causa, adiungit Rev.mus Relator, expedit ut in § de qua nunc agitur explicita referentia fiat ad tria vota, propter quasdam opiniones confusas quae hodie habentur.

Quaerit Exc.mus tertius Consultor an verbum « publice » referatur ad ipsam caeremoniam. Rev.mus Secretarius negative respondet, quia refertur ad ipsam naturam voti sub aspectu iuridico: agitur enim de votis publicis, et expressiones quales « vota semipublica » omnino vitandae sunt in novo iure, propter earum ambiguitatem iuridicam.

Proponit Rev.mus septimus Consultor ut dicatur: « ... publice assumunt, sive voto firmata sive alio sacro ligamine roborata », quia sic per verbum « publice » significatur tum ritus professionis tum natura iuridica.

Rev.mo primo Consultore non placet verbum « assumunt », quia non assumuntur consilia, sed obligationes quae ex ipsis promanant.

Censet etiam Rev.mus quartus Consultor verbum « publice » expungi posse, quia professio iam per se significat aliquid publicum. Respondet tamen Rev.mus Relator verbum « publice » retinendum sibi videri, quia essentialiter in hoc statu habetur professio consiliorum, et quia hic status est status publicus in Ecclesia. Cum his dictis concordat Rev.mus quartus Consultor.

Rev.mus septimus Consultor proponit igitur ut dicatur: « ... oboedientiae observanda publice assumunt, sive voto sive alio sacro ligamine firmata ».

Rev.mi quintus et primus Consultores malunt ut numerus pluralis adhibeatur, quia hodie habetur aliqua disceptatio et nonnulli quaerunt quod ex tribus votis praesertim pertineat ad essentiam vitae consecratae. Respondet vero Rev.mus septimus Consultor iam clare dici sodales profiteri tria consilia evangelica.

Exc.mus undecimus Consultor mavult ut retineatur verbum « profitentur », quae vox apparet in Constitutione *Lumen gentium* et in Decreto *Perfectae caritatis*, atque etiam adhibetur in Instr. *Renovationis causam*. Respondet Rev.mus Secretarius verbi mutationem ideo tantum factam esse, ut non confundatur cum mera actione liturgica.

Fit ergo suffragatio circa novam propositam redactionem, quae sic sonat: « Temporaria cooptatione sodales tria consilia evangelica, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae observanda publice assumunt, sive vo-



to sive alio sacro ligamine firmata». Hic textus placet omnibus Consultoribus, excepto Rev.mo primo.

### *Quoad § 3*

Quaedam proponuntur mutationes in prima linea textus propositi, nempe: «temporarie cooptandus» (Exc.mus secundus Consultor), «ut qui temporarie cooptentur» (Rev.mus primus Consultor), «ut qui ad temporariam cooptationem accedit» (Rev.mus Relator). Demum, Exc.mus duodecimus Consultor suggerit: «ut temporaria cooptatione sodalis, loco...», quae formula placet omnibus.

Censet Exc.mus tertius Consultor dicendum esse hoc casu cooptatos novum vinculum acquirere non cum Ecclesia, sed tantum cum Instituto. Respondet Rev.mus Relator hoc pendere a natura ipsius vinculi provisorii, quae ab Instituto definienda est, licet semper hoc vinculum respicere debeat consilia evangelica profitenda.

Postulat Rev.mus primus Consultor ut tollantur verba «dummodo» et «adamussim», ne dubia oriantur circa definitionem in iure particulari ponendam. Respondet tamen Rev.mus Relator hanc esse conditionem omnino necessariam, nam aliter confusiones magnae habebuntur. Etiam Rev.mus septimus Consultor memorat hoc ipsum verbum «dummodo» contineri in Instr. *Renovationis causam*.

Quaerit etiam Exc.mus undecimus Consultor ut in recto describatur natura vitae quae ducenda est, ac deinde sequantur reliquae ideae.

Rev.mus octavus Consultor suggerit ut dicatur: «... *alius generis vinculo ab Instituto admisso* adstringatur». Rev.mus Relator consenset hoc non sufficere, quia agitur de re nova, et necessarium est igitur ut hoc vinculum ab Instituto definiatur.

Attenta etiam animadversione Rev.mi primi Consultoris, supra relata, Rev.mus Relator hunc textum proponit, qui ab omnibus approbatur: «...sacrorum ligaminum Instituto adstringatur alius generis vinculo, cuius natura et vis ab eodem adamussim definiantur».

Postulat etiam Rev.mus primus Consultor ut dicatur hanc vitam conformem esse debere consiliis evangelicis, quia talis specificatio sibi videtur valde opportuna. Respondent tamen Rev.mi Secretarius et septimus Consultor de consiliis iam agi in § 2 huius canonis, qua de causa intelligitur vitam esse debere iuxta consilia evangelica, et quidem ordinatam ad professionem consiliorum, licet pro tempore vincula sacra non habeantur. Normae enim Instituti, de quibus textus infra agit, exprimere debent obligationem consiliorum evangelicorum, quia aliter non esset Institutum per-

fectionis. Concordat etiam Rev.mus quintus Consultor, quia hoc est tempus praeparationis ad definitivam cooptationem, in quo igitur iam haberi debet substantia theologica vitae iuxta consilia evangelica consecratae.

Proponit Rev.mus primus Consultor ut loco «tamen» dicatur «autem», utque expungatur verbum «peculiares», quod placet Consultoribus. Textus ergo huius paragraphi approbatur cum emendationibus relatis.

### *Can. 3*

Exc.mo sexto Consultori non placet ut habeatur clausula irritans circa qualitatem subiectivam, uti in n° 3 de idoneitate. Respondet autem Rev.mus Relator in textu agi de idoneitate legitime comprobata, idoneitas scilicet determinatur per elementa externa iuridice probanda.

Postulat Exc.mus secundus Consultor ut textus numeri 3 sic sonet: «idoneitas comprobata ad normam iuris», ne confusiones oriantur inter idoneitatem moralem et idoneitatem iuridicam; immo, ipse Exc.mus expedire censet ut hoc praescriptum non ponatur inter condiciones ad validitatem, sed includatur solummodo ut praeceptum graviter obligans.

Ill.mus decimus Consultor objectionem movet contra verbum «novitatus». Respondet vero Rev.mus Relator totam quaestionem de terminologia adhuc solvi debere.

Animadvertit Exc.mus tertius Consultor initium canonis non concordare cum iis quae in n° 4 dicuntur: «ut quis admittatur... requiritur admissio...». Placet ergo omnibus ut dicatur: «Ad validitatem cooptationis temporariae, praeter...».

Sequitur disceptatio circa numerum 3 huius canonis, et Rev.mus Relator sic exponit statum quaestionis: *a)* concordant omnes quoad rei gravitatem, ita ut idoneitas candidati in tuto ponenda sit antequam ipse ad temporariam cooptationem admittatur; *b)* plerique existimant hanc clausulam retinendam esse ut conditionem ad validitatem; *c)* ideo proponit formulam: «immunitas ab impedimentis a iure statutis».

Exc.mus secundus Consultor potius censet hanc conditionem statui debere ad liceitatem, quia ita oneratur conscientia moderatoris, sed quaestio non fit de validitate actus.

Ill.mus decimus Consultor proponit ut dicatur: «immunitas ab impedimentis a iure statutis formaliter comprobata».

Rev.mus quartus Consultor censet idoneitatem formaliter comprobendam esse iuxta normas iuris sive communis sive particularis, ipsam tamen idoneitatem retineri non debere ut conditionem ad validitatem.

Proponit Rev.mus quintus Consultor ut expungatur numerus 3, et ca-

non his verbis incipiat: «Ad validitatem cooptationis temporariae, praeter conditiones a iure particulari appositae, requiritur:». Sic enim idoneitas recensetur inter conditiones iure particulari positae. Haec tamen propositio non approbatur.

Fit ergo suffragatio, in qua quaeritur: «Placetne ut ponatur numerus 3 tantum uti praeceptum?»: hoc placet sex Consultoribus, sed alii sex negative respondent, quapropter quaestio suspensa manet.

Numerus 4 canonis ab omnibus approbatur, dempto tamen verbo «facta».

#### *Can. 4*

##### *Quoad § 1*

Rev.mus nonus Consultor postulat ut dicatur: «... qui sponte id petat et idoneus iudicetur...». Placet omnibus.

Exc.mus secundus Consultor censet verba «secus discedat vel dimittatur» expungi posse, quia necessaria non sunt. Fit tamen suffragatio, et textus § 1 approbatur uti iacet in schemate, cum emendatione supra relata.

##### *Quoad § 2*

Placet omnibus textus propositus in schemate, excepto Rev.mo primo Consultore, qui addendum esse censet cooptationem temporariam renovari debere.

#### *Can. 5*

Exc.mus duodecimus Consultor postulat ut dicatur: «Cooptatione, qua tria consilia evangelica assumuntur...». Ratio est quia emendatio in eodem sensu facta est in canone 2 § 3 huius Articuli. Respondent vero Rev.mi Secretarius et Relator emendationem in canone 2 propter aliam rationem factam esse, ne scilicet intelligeretur ibidem referentiam fieri ad meram caeremoniam liturgicam. In canone autem de quo nunc agitur servanda est expressio clara et traditionalis quae habetur etiam in documentis conciliariis: Const. *Lumen gentium*, n. 44 et Decr. *Perfectae caritatis*, n. 6, etc.

Exc.mus tertius Consultor animadvertit in textu nihil dici de animarum salute.

Iuxta Rev.mum octavum Consultorem textus est nimis longus et sollemnis. Idem sentit Exc.mus sextus Consultor.

Rev.mus Relator hanc novam formulam proponit pro canone 5:

§ 1. (prima formulario). Cooptatione sodales Deo totaliter consecrantur, ad eius servitium novo titulo dedicantur, Ecclesiae speciali modo coniunguntur et Christum pressius sequentes Regnum eius in terris promoveant eiusque adventum expectantes gloriam eius praenuntiant.

(vel)

§ 1. (secunda formulatio). Cooptatione sodales, Deo totaliter per consilia evangelica consecrati eiusque servitio novo titulo dedicati, Ecclesiae quoque speciali modo coniunguntur ut, Christum pressius sequentes, Regnum eius in terris promoveant atque gloriam regni coelestis propria vita praenuntient.

§ 2. Eadem cooptatione sodales se devovent quoque servitio hominum propter Deum, coaetaneos profundius in visceribus Christi praesentes habent atque cum eis cooperantur ut aedificatio terrenae civitatis semper in Domino melius fundetur et mundus Deo plenius consecratur.

#### *Quoad § 1*

Placet secunda formulatio ut basis pro disceptatione.

Rev.mus quartus Consultor postulat ut, loco «eiusque» dicatur «ideoque eius», quod placet.

Exc.mus sextus Consultor petit ut dicatur «in mundo» potius quam «in terris», quod pariter placet.

Exc.mus tertius Consultor mavult ut dicatur «vita sua» loco «propria vita». Respondet vero Rev.mus Relator verbum «propria» retinendum esse, quia vita consecrata revera est propria et differt a vita ceterorum fidelium.

Ill.mus decimus Consultor postulat ut dicatur: «... coniunguntur, *ita* ut Christum pressius sequentes, Regnum eius in mundo *melius* promovere *valeant*...». Obiicit Rev.mus quintus Consultor consecrationem in se ipsa iam esse promotionem. Respondet tamen Ill.mus decimus Consultor sensum propositionis esse ut clarius pateat differentia inter consecratos et simplices baptizatos, qui hanc specialem consecrationem vitae non receperunt.

Rev.mus Relator, ad mentem animadversionis Ill.mi decimi Consultoris, hunc textum proponit: «ita ut, Christum pressius sequentes, Regnum eius in mundo impensius promoveant...». Placet omnibus.

#### *Quoad § 2*

Rev.mus quintus Consultor hanc additionem proponit: «Eadem cooptatione sodales *modo Instituto proprio* servitio hominum propter Deum se devovent, coaetaneos...». Emendatio placet omnibus.

*Can. 6*

Quaedam proponuntur emendationes, scilicet: «Per cooptationem definitivam sodales sacro vinculo de se perpetuo Instituto plene aggregantur» (Rev.mus septimus Consultor); vel: «Cooptatione definitiva sodales Instituto plene aggregantur» (Rev.mus quintus Consultor, quia iam supra dictum est cooptationem fieri per tria consilia et vinculum sacrum). Attamen Rev.mus primus Consultor necessarium existimat ut in hoc canone mentio fiat de vinculo sacro, quod deesse potest in cooptatione temporaria. Hoc placet, et textus sequens ab omnibus approbatur: «Per cooptationem definitivam sodales sacro vinculo natura sua perpetuo vitam Deo consecrant et Instituto plene aggregantur».

*Can. 7*

Attenta emendatione facta in canone 3, placet ut hic canon his verbis incipiat: «Ad validitatem cooptationis definitivae, praeter conditiones a iure particulari appositas, requiritur:».

Nulla fit animadversio quoad numerum 1.

Quoad numerum 2, Exc.mus secundus Consultor animadvertit textum non concordare cum canone 2 § 1, ubi facultas datur ut tempus brevius sit triennio. Proponente igitur Rev.mo quinto Consultore, approbatur sequens textus numeri 2: «praevia cooptatio ad normam canonis 2 peracta;».

Quoad numerum 3<sup>a</sup> nova fit disceptatio quoad idoneitatem. Demum approbatur sequens textus: «iudicium de idoneitate iuxta requisita iuris particularis efformatum». Haec formula placet omnibus, exceptis Rev.mis nono et primo Consultoribus. Placet insuper ut eadem formula ponatur in canone 3, 3<sup>o</sup>.

Nulla animadversio fit quoad numerum 4.

*Can. 8*

Rev.mus Relator explanat sensum canonis, qui ideo redactus est, ut appareat cooptationem esse actum ex quo provenit lex vitae cuiusque Instituti. Censet tamen Rev.mus primus Consultor claram non esse connexionem huius textus cum praecedentibus canonibus. Idem sentit Rev.mus quintus Consultor, qui suggerit ut hic canon ponatur ubi de obligationibus, quia revera agitur de obligatione Instituti. Haec propositio placet majoritati, dummodo hoc loco maneat textus circa obligationem cooptati vivendi iuxta Instituti legem, cum referentia ad canonem 2 Tituli 6.

Ideo Rev.mus Relator hunc textum proponit: «Cooptati rationem vivendi Instituto propriam, de qua in canone 2 Tit. VI, ut legem vitae assumunt».

Rev.mus tertius decimus Consultor suggerit ut dicatur: « ut legem vitae et disciplinae assumunt. ». Hoc placet omnibus.

Rev.mus Relator aliam redactionem proponit, nempe: « Definitive cooptati rationem vivendi Instituti propriam, de qua in canone 2 Tit. VI, ut legem vitae et disciplinae plene assumunt ». Contra verba vero « definitively » et « plene » objectionem movet Rev.mus quintus Consultor, quia iam ante cooptationem definitivam candidatus vivere debet secundum legem et disciplinam Instituti, ut habeatur personalis experientia. Hoc placet omnibus, et, proponente Rev.mo Relatore, sequens textus ab omnibus approbatur: « Cooptati rationem vivendi Instituto propriam, de qua in canone 2 Tit. 6, ut legem suae vitae et disciplinae assumunt ».

Exc.mus sextus Consultor quaestionem proponit de documento ubi cooptatio definitiva legitime constet, ad normam can. 576 praesentis Codicis. Rev.mus Relator, quocum omnes concordant, censet canonem generalem de hac re, de documento scilicet ubi iuridice constet cooptatio tum temporaria tum definitiva, ponendum esse in iure Institutorum perfectionis, quia revera assumitur novus status publicus in Ecclesia. Hoc placet omnibus. Ideo textus definitivus schematis approbatur uti prostat in fine huius Relationis.

#### IV. DE COOPTATORUM INSTITUTIONE

##### *Can. 1*

##### *Quoad § 1*

Exc.mus sextus Consultor suggerit ut, loco « protrahatur », dicatur « perficiatur » vel « compleatur ». Placet verbum « perficiatur ».

##### *Quoad § 2*

Obiicit Exc.mus secundus Consultor textum propositum totam materiam remittere ad ius particulare, quod est periculosum. Respondet Rev.mus Relator iam in canone 2 § 2 dici clericorum institutionem fieri debere iuxta praescripta iuris communis; quoad alias vero materias, prae oculis haberi debet diversitas Institutorum. Ideo proponit Rev.mus Relator, et approbatur ab omnibus, ut quaestio de institutionis duratione perpendatur postea, ubi de singulis categoriis Institutorum perfectionis.

Proponit Rev.mus primus Consultor ut, in fine huius § dicatur: « prout a fine et indole... », quod placet.

Suffragatur textus, et approbatur.



*Quoad § 3*

Exc.mus tertius Consultor timet ne difficultates oriri possint ex hac prohibitione absoluta. Hac de causa, Exc.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: «... quae iudicio moderatorum institutionem impedian». Haec additio non placet Rev.mo quinto Consultori, quia ansam dare potest ut moderatores nimia onera imponant instituendis, praesertim in parvis Institutis.

Fit ergo suffragatio, et textus placet quinque Consultoribus uti iacet, alii vero quinque ipsum approbant iuxta modum.

Modi sunt sequentes:

a) «Hoc tempore moderatores curent ne sodales officiis et muneribus onerentur quae institutionem impedian» (Exc.mi tertius et secundus Consultores).

b) «Hoc tempore vitentur omnia quae sodalium institutionem impedian» (Rev.mus septimus Consultor).

c) «Hoc tempore sodales ne ita officiis et muneribus onerentur quae suam institutionem impedian». (Rev.mus primus Consultor).

d) «Hoc tempore moderatores curare debent ut vitentur omnia quae sodalium institutionem impedian» (Rev.mus quintus Consultor).

Fit suffragatio de singulis his modis, sed nullus obtinet requisitam maiorem, quapropter servatur textus uti iacet in schemate.

*Can. 2**Quoad § 1*

Rev.mus tertius decimus Consultor objectionem movet contra verba «theoretica et practica», quae intelligi possunt ac si referantur ad institutionem theologicam.

Etiam disceptatio habetur de requisitis quibus periti pollere debent.

His attentis, Rev.mus Relator sequentem textum proponit:

«§ 1. Institutio, sub ductu peritorum consequenda atque capacitati sodalium accommodata, sit doctrinalis simul ac practica, iuxta exigentias Instituti, titulis etiam congruentibus pro opportunitate obtentis».

Hic textus ab omnibus approbatur.

*Quoad § 2*

Proponentibus Exc.mo secundo et Rev.mo primo Consultoribus, loco



«clericorum» dicendum est «sodalium qui ad ordines destinantur». Hoc placet.

Postulat Rev.mus primus Consultor ut mutetur ordo, ita ut prius veniat ius commune, deinde vero ius particulare. Respondet Rev.mus quintus Consultor diversam esse conditionem clericorum in Instituto monastico quam ex. gr. in Instituto apostolico, quapropter parvus coetus Consultorum prius ponendum esse censuit ius particulare. Fit suffragatio, et magis placet ordo schematis.

*Can. 3*

Sequentes emendationes approbantur: deleatur verbum «suam»; dicatur «prosequi intendant», loco «perficere contendant»; dicatur etiam «pro posse», loco «pro viribus».

Proponit etiam Rev.mus septimus Consultor ut expungantur verba «Per totam vitam», quae sibi necessaria non videntur. Hoc vero non placet, quia opportunum est ut Concilii verba servantur.

Fit ergo suffragatio, et canon placet omnibus cum emendationibus relatis. Textus definitivus schematis approbatus manet uti prostat in fine huius Relationis.

## V. DE OBLIGATIONIBUS INSTITUTORUM EORUMQUE SODALIUM

Hic titulus VI schematis perpenditur solummodo quoad eius generalia lineamenta.

Exc.mus duodecimus Consultor hunc ordinem proponit:

Can. 1 = can. 1 § 1 schematis

Can. 2 = can. 1 § 1 schematis

Can. 3 = can. 3 schematis (relatio cum Christo)

Can. 4 = can. 4 schematis (relatio cum Ecclesia)

Can. 5 = can. 2 schematis (de consiliis evangelicis)

Censet insuper ipse Exc.mus duodecimus Consultor naturam votorum definiendam esse ubi agitur de tribus consiliis; et postulat quoque ut in canone 8 addatur paragraphus de institutione ad vitam liturgicam.

Rev.mus tertius decimus Consultor expungendos esse censet canones

5-7, quia de obligationibus agitur quae in praesenti Codice non specificantur. Concordat Rev.mus septimus Consultor.

Rev.mus octavus Consultor has obligationes inserendas esse censet, ita ut bene determinantur: *a)* quoad eos qui vota nuncupant; *b)* quoad eos qui alio vinculo sacro ligantur.

Rev.mus primus Consultor expedire existimat ut principium generale detur quoad obligationes consiliorum: Instituta eas obligationes determinare debent in iure particulari, iuxta normas communes quae in parte speciali nostri schematis ponendae sunt.

Rev.mus Secretarius aliquid dicendum esse censet, ad mentem Concilii, non solum de paupertate personali, sed etiam de paupertate totius Instituti. Obiicit tamen Rev.mus quintus Consultor hoc iam dici in canone 2 § 1.

Animadvertit etiam Rev.mus quintus Consultor consilia evangelica ita in canonibus exhibenda esse, ut non videatur aliud prae ceteris extolli: hoc enim esset periculosum.

Proponuntur ergo sequentes suffragationes:

1) Nihil in hac parte dicatur de obligatione singulorum consiliorum: sufficit canon ubi statuatur has determinationes faciendas esse a iure particulari. Quapropter expungi possunt canones 5-7 schematis, servato quidem canone 2 § 2, ad mentem canonis 593 praesentis CIC exarato. Placet omnibus, exceptis Rev.mis octavo et primo Consultoribus.

2) Placetne ordo propositus ab Exc.mo duodecimo Consultore? Placet omnibus.

3) Placetne ut canon conficiatur de labore? Non placet. De hoc enim, uti animadvertit Rev.mus Relator, iam implicite agitur in canone 4 schematis.

4) Placentne generalia lineamenta in schemate canonis 9 proposita? Quoad substantiam placent omnibus.

Disceptatione ita expleta, preces de more dicuntur atque huic IX<sup>ae</sup> Sessioni studii finis imponitur.

Romae, 30 mai 1970.

I. HERRANZ  
*Actuarius*

## CANONES IN HAC SESSIONE STUDII APPROBATI

## I. DE COOPTATIONE IN INSTITUTUM

*Can. 1*

§ 1. Nemo in Institutum cooptetur nisi modo a iure particulari praescripto.

§ 2. Cooptatio secumfert obligationes et iura definita in statutis propriis sub legitima auctoritate servandis.

§ 3. Cooptatione vero Institutum novo titulo curam assumit sodalem in suum finem perducendi iuxta statuta.

*Can. 2*

§ 1. Cooptatio, exacto novitiatu, illico ad tempus definitum fiat quod nec triennio brevius nec novennio longius sit, nisi aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Temporaria cooptatione sodales tria consilia evangelica, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae observanda publice assumunt, sive voto sive alio sacro ligamine firmata.

§ 3. Ius tamen particulare permittere potest ut temporaria cooptatione sodalis, loco votorum vel sacrorum ligaminum, Instituto adstringatur alius generis vinculo, cuius natura et vis ab eodem adamussim definiantur. Semper autem sodalis ita cooptatus vitam ducere tenetur iuxta Instituti normas sub auctoritate legitimi moderatoris.

*Can. 3*

Ad validitatem cooptationis temporariae, praeter conditiones a iure particulari appositae, requiritur:

- 1) decimus saltem octavus aetatis annus completus;
- 2) novitiatus ad normam iuris peractus;
- 3) iudicium de idoneitate iuxta requisita iuris particularis efformatum;
- 4) admissio a competenti moderatore facta.

*Can. 4*

§ 1. Temporariae cooptationis periodo expleta, qui sponte id petat et idoneus iudicetur ad cooptationem definitivam admittatur; secus discedat vel dimittatur.

§ 2. Si vero opportunum videatur vel sodalis sponte id petat, periodus cooptationis temporariae a competenti moderatore prorogari potest, non tamen ultra triennium.

*Can. 5*

§ 1. Cooptatione sodales, Deo totaliter per consilia evangelica consecrati ideoque eius servitio novo titulo dedicati, Ecclesiae speciali modo coniunguntur, ita ut, Christum pressius sequentes, Regnum eius in mundo impensius promoveant atque gloriam regni coelestis propria vita praenuntient.

§ 2. Eadem cooptatione sodales modo Instituto proprio servitio hominum propter Deum se devovent, coaetaneos profundius in visceribus Christi praesentes habent atque cum eis cooperantur ut aedificatio terrenae civitatis semper in Domino melius fundetur et mundus Deo plenius consecratur.

*Can. 6*

Per cooptationem definitivam sodales sacro vinculo natura sua perpetuo vitam Deo consecrant et Instituto plene aggregantur.

*Can. 7*

Ad validitatem cooptationis definitivae, praeter conditiones a iure particulari appositae, requiritur:

- 1) vigesimus primus saltem aetatis annus completus;
- 2) praevia cooptatio ad normam canonis 2 peracta;
- 3) iudicium de idoneitate iuxta requisita iuris particularis efformatum;
- 4) admissio a competenti moderatore facta.

*Can. 8*

Cooptati rationem vivendi Instituto propriam, de qua in canone 2 Tit. VI, ut legem suae vitae et disciplinae assumunt.

## II. DE COOPTATORUM INSTITUTIONE

*Can. 1*

§ 1. In singulis Institutis, post primam cooptationem, sodalium institutio perficiatur ad vitam Instituti propriam plenius ducendam et ad eius missionem aptius proseguendam.

§ 2. Quapropter, ius particulare definire debet huiusmodi institutionis durationem et rationem, attentis Ecclesiae necessitatibus atque hominum temporumque conditionibus prout a fine et indole Instituti exigitur.

§ 3. Hoc tempore sodalibus officia et munera ne committantur quae eorumdem institutionem impedian.

*Can. 2*

§ 1. Institutio, sub ductu peritorum consequenda atque capacitati sodalium accommodata, sit doctrinalis simul ac practica iuxta exigentias Instituti, titulis etiam congruentibus pro opportunitate obtentis.

§ 2. Institutio sodalium qui ad ordines destinantur regitur propria Instituti ratione studiorum et iure communi.

*Can. 3*

Per totam vitam sodales culturam spiritualem, doctrinalem et technicam sedulo prosequi intendant et moderatores, pro posse, opportunitatem, adiumenta et tempus ad hoc eis procurent.

Romae, 30 mai 1970.

## Adnexum

## RELATIO SEPTIMA

## Titulus V: « DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM »

Articulus III: *De sodalium cooptatione in Institutum*

1. In fine praecedentis sessionis huius Coetus Studiorum, Rev.mis Consultoribus quosdam canones Articuli III Tituli V iam praesentaveram ab eisque humaniter rogavi ut mentem aperirent quoad substantiam et formulationem illorum canonum. Tunc etiam animadverti canones praesentatos potius primum conamen formulationis constituere quam schema perpolitum, magis et amplius cum « parvus Coetus » Rev.morum Consultorum eos examini non subiecerit. Praemissa brevi discussione, Rev.mi Consultores huius Coetus canones praesentatos quoad substantiam approbaverunt et « parvo Coetui » commiserunt examen profundius schematis et formulationem canonum. Cum autem canon secundus schematis peculiarem difficultatem praeserferret ob innovationes ab Instructione: *Renovationis causam* S. Congregationis de Religiosis et Institutis Saecularibus admissas quoad novitiatum et periodum cooptationis temporariae, Rev.mi Consultores sequentem normam directivam pro canonis formulatione tradiderunt: « Regula generalis sit ut sodales post novitiatum rite peractum tria consilia evangelica profiteantur perdurante periodo cooptationis temporariae. Exceptionaliter tamen ius particulare permittere potest ut quidam sodales post novitiatum alius generis vinculum assumant pro periodo cooptationis temporariae ».

2. Parvus Coetus Consultorum munus sibi commissum fideliter et cum sollertia adimplere conatus est post maturum examen materiae per plures coadunationes protractum. Schema canonum quod in hac relatione Rev.mis Consultoribus praesentatur exitus dici potest illius examinis. Considerantes vero schemata canonum primi et secundi Articuli huius Tituli quinti, iam a Coetu Studiorum approbata necnon canones in tertio et quarto Articulo pro examine in praesenti sessione propositos, Consultores in parvo Coetu coadunati necessarium duxerunt rubricas Tituli V necnon quatuor Articulorum eius aliquantulum immutare ut melius concordare possint cum praescriptis canonum qui in unoquoque articulo ponuntur. In Schemate generali a Coetu Studiorum approbato Titulus V sequenti forma

redactus fuerat: Titulus V: «De admissione in Institutum». Art. 1: «De praeparatione recipiendorum»; Art. 2: «De receptorum institutione»; Art. 3: «De sodalium cooptatione in Institutum»; Art. 4: «De ulteriore sodalium formatione».

Examine vero universae materiae huius tituli peracto, Rev.mi Consultores parvi Coetus hanc formulationem et ordinem proponunt:

*Titulus V: «De sodalium admissione et institutione».*

*Art. 1: «De requisitis ad candidatos admittendos»;*

*Art. 2: «De receptorum institutione»;*

*Art. 3: «De cooptatione in Institutum»;*

*Art. 4: «De cooptatorum institutione».*

Ex comparatione inter rubricas prout apparent in schemate generali approbato et illas quae nunc proponuntur statim apparet immutationes introductas paucas et parvas esse nec substantiam rei tangere. Admissae sunt dumtaxat ut nigrum magis concordet cum rubro.

3. Adiutorio Rev.morum Consultorum parvi Coetus et valida opera Rev.mi Secretarii Commissionis, conatus sum etiam in praescriptis canonum huius Tituli V et praesertim in Artt. 3 et 4 ad praxim deducere principia directiva recognitionis huius partis Codicis Iuris Canonici quae approbata fuerunt in una ex anteactis sessionibus huius Coetus Studiorum. Re quidem vera Articulus 3, qui de re magni ponderis agit, octo dumtaxat canonibus coalescit, quorum quintus est potius pastoralis et hortatorius. Ex aliis septem canonibus primus quaedam praescripta continet generalia quae cooptationi indiscriminatim applicantur, secundus vero, tertius et quartus cooptationem respiciunt temporariam; sextus autem, septimus et octavus de cooptatione definitiva praescripta statuunt. Uti ex lectione canonum clare apparet praescripta sunt admodum generalia ad hoc ut diversis Institutis sufficiens relinquatur libertas etiam circa hunc actum qui so- dalem Deo consecrat et proprio Instituto coniungit.



## SCHEMA CANONUM

## ARTICULUS TERTIUS

## CANON PRIMUS

§ 1. Novitius in Institutum cooptatur modo a iure particulari praescripto.

§ 2. Cooptatio secumfert obligationes et iura definita in statutis propriis sub oboedientia legitimi moderatoris servandis.

§ 3. In cooptatione vero Institutum novo titulo curam assumit sodalem in suum finem perducendi iuxta statuta.

*Notae:*

a) Canon est sufficienter perspicuus et explicatione vix indiget.

b) Praescriptum § 1 magnam libertatem Institutis relinquit ad seligendam formam professionis quae magis Instituto convenit. Quoddam forsan periculum haberi potest ex immoderata cupiditate quae in quibusdam Institutis percipitur adoptandi in formula professionis novas et peregrinas expressiones. Sed cum formula professionis in iure particulari instituti apparere debet et cum hoc ius examini Superiorum Ecclesiasticorum competentium erit subiiciendum non existimo necessarium aliud in § adiungere.

c) Paragraphus 2 enumerat immediatos et naturales effectus cooptationis qui sunt obligationes et iura iuxta determinationem iuris particularis societatis in qua sodalis per cooptationem adnumeratur. In qualibet autem societate praeter ius scriptum habetur etiam eius veluti viva applicatio per legitimum moderatorem. Quod in Instituto, perfectionis est magis necessarium quia finis attingit totam vitam et activitatem cooptati.

d) In ultima tandem paragrapho affirmatur obligatio Instituti sodalem receptum ita moderandi ut finis Instituti attingi possit perfectione vitae ad quam idem sodalis tendere obligatur, id est iuxta statuta. Dicitur autem quod Institutum curam assumit «novo titulo», quia per admissionem ad novitiatum iam aliqua obligatio in Instituto oritur.

## CANON SECUNDUS

§ 1. Cooptatio, exacto novitiatu, illico ad tempus definitum fiat quod nec triennio brevius nec novennio longius sit, nisi aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Temporalia cooptatione sodales tria consilia evangelica, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae publice profitentur, sive vota emittendo sive alia sacra ligamina assumendo.

§ 3. Ius tamen particulare permittere potest ut temporarie cooptatus, loco votorum vel sacrorum ligaminum, alius generis vinculo Instituto adstringatur, dummodo huius vinculi natura et vis ab eodem iure particulari adamussim definiantur. Semper tamen sodalis ita cooptatus vitam ducere tenetur iuxta peculiare Instituti normas sub auctoritate legitimi moderatoris.

*Notae:*

a) Adiutorio aliorum membrorum « parvi Coetus » conatus sum in his tribus paragraphis canonem formulare iuxta normas directivas a Coetu Studiorum traditas.

b) Per § 1 aliquantulum immutatur praescriptum can. 574 iuxta novas dispositiones a S. Congregatione de Religiosis et Institutis Saecularibus datas in Instructione *Renovationis causam* diei 6 ianuarii 1969. Exsistimo spatium novennii sufficiens esse pro Institutis cuiusvis generis et ideo regula generalis debet esse ut tempus novennii non excedat. Sed quia Instituta perfectionis ita varia sunt ut difficulter norma generalis absoluta — etiam inter terminos latos in praescripto statutos — dari possit, opportunum visum est adiungere ultimam clausulam: « nisi aliud iure expresse caveatur ». Peracto novitiatu, si novitius admissus est ad cooptationem faciendam, eam quamprimum facere debet ut non remaneat absque ullo vinculo cum Instituto. Propterea additum est adverbium: « illico ».

c) Convenerunt Consultores Coetus ut tamquam norma generalis statuatur pro temporarie cooptatis professio trium consiliorum evangelicorum sive vota emittendo sive alio modo ab Ecclesia acceptato ad mentem Concilii Oecumenici Vaticani II. Ius nempe commune non deberet favere vinculis alius generis perdurante cooptatione temporalia, licet illam formam vitae permittere possit.

d) In ultima § canonis normae praecisae dantur circa permissionem de qua sub nota praecedenti. Permittitur assumptio vinculi diversi a votis vel sacris ligaminibus, dummodo ius particulare dubium non relinquit circa naturam et vim assumpti vinculi et dummodo sodalis ita cooptatus nullo modo exemptus remaneat ab auctoritate legitimi moderatoris. Hoc praescripto minime intenditur obligatio pro Instituto, quod ob rationes vel motiva specialia admittit hoc vinculum diversum a votis vel sacris ligaminibus, imponendi tale vinculum omnibus temporarie cooptatis. Si enim competenti auctoritati Instituti ita placuerit, assumptio huiusmodi vinculi permitti potest in singulis casibus.

CANON TERTIUS

Ut quis valide ad cooptationem temporariam admittatur, praeter conditiones quas ius particulare apponere potest, requiritur:

- 1) decimus saltem octavus aetatis annus completus;
- 2) novitiatus ad normam iuris peractus;
- 3) idoneitas ad hanc cooptationem legitime comprobata;
- 4) admissio a competenti moderatore facta.

*Notae:*

a) In hoc canone invenitur adaptatio ad Instituta perfectionis, quod spectat ad cooptationem temporariam, canonis 572. Non omnes tamen conditiones ibidem consideratae in hoc novo canone proposito admissae sunt sed eae tantum quae hodie necessariae apparent. Si tamen, attentis natura, peculiari indole et specialibus necessitatibus alicuius Instituti, necessarium videbitur alias conditiones apponere ad validitatem cooptationis temporariae, hoc fieri non prohibetur per ius particulare et ideo in parte introductiva canonis adiungitur: «praeter conditiones quas ius particulare apponere potest».

b) Cum aetas praescripta pro valida admissione ad novitium sit decimi septimi anni completi, necessario hic aetas ad cooptationem validam faciendam debet esse saltem decimi octavi anni completi. Ius tamen particulare aetatem provectiorem statuere potest ad validitatem cooptationis temporariae; minime vero minorem.

Necessitas novitiatus ad normam iuris peracti seu validi faciliter demonstrari potest. Si talis conditio ad validitatem cooptationis temporariae non apponeretur via aperiretur ad graves abusos et praescripta circa novitium suam vim faciliter amitterent. Quod candidatus ad cooptationem temporariam debeat esse idoneus ad illam faciendam et ad vitam in Instituto ducendam iuxta praescripta iuris illius Instituti apparet per se notum. Praecipitur in n. 3° ut talis idoneitas comprobetur et quidem modo legitimo. Hoc praescriptum introductum est ut moderatores quibus competit cogantur de tali idoneitate comprobanda cogitare. Canon modum huius probationis non determinat sed relinquit iuri particulari onus specificandi media iuxta indolem et necessitates cuiusvis Instituti. Quarta conditio non indiget expositione.

#### CANON QUARTUS

§ 1. Temporariae cooptationis periodo expleta, qui idoneus iudicatur et sponte id petit, ad cooptationem definitivam admittatur; secus discedat vel dimittatur.

§ 2. Si vero opportunum videatur vel sodalis sponte id petat, periodus cooptationis temporariae a competenti moderatore prorogari potest, non tamen ultra triennium.

*Notae:*

a) § prima huius canonis nihil aliud est quam adaptatio can. 575, § 1 ad sodales Institutorum perfectionis. Iterum tamen in memoria moderatorum revocatur necessitas idoneitatis in candidato et etiam omnimoda libertas in decisione ferenda tam magni momenti pro tota vita ipsius candidati.

b) In praescripto § 2 agitur de prorogatione cooptationis temporariae in tempore sive ob motivum quod se habet ex parte moderatorum sive ex parte ipsius candidati. Cum ex hac norma prorogatio temporis professionis temporariae faciliter fieri potest a moderatoribus quibus competit, malui in hac parte sermonem non facere de renovatione professionis temporariae. Huiusmodi renovatio generatim habet locum — iuxta hodiernam disciplinam — vel quia cooptatio renovari de tempore in tempore iuxta determinationem iuris particularis debet vel ob necessitatem aut opportunitatem differendi actum cooptationis definitivae.

## CANON QUINTUS

Cooptatione, per professionem trium consiliorum evangelicorum, sodales Deo summe dilecto totaliter manciantur et ad eius servitium et honorem novo titulo dedicantur, in Ecclesia divino obsequio intimius consecrantur cum gratiae baptismalis uberiores fructus percipere conentur et gradatim sese liberare ab impedimentis quae ipsos a caritatis fervore et divini cultus perfectione retrahere possent. Ecclesiae quoque eiusque mysterio speciali modo coniunguntur cuius bono devoventur qui secundum formam propriae vocationis regnum Christi in terris promovent et gloriam regni coelestis praeannuntiant.

*Notae:*

a) Concorditer cum principiis quae recognitionem Codicis Iuris Canonici dirigere debent iam mos introductus est in laboribus huius Coetus Studiorum inserendi aliquos canones indolis pastoralis. Hic canon scopum habet prae oculis omnium et potissimum membrorum Institutorum perfectionis ponere magnum momentum actus cooptationis eiusque efficaciam non tantum iuridicam sed potissimum spiritualem tam in relationibus sodalium erga Deum et Christum Deum et hominem quam in illis erga Ecclesiam. Effectus hic recensiti sunt meta-iuridici, sed pro vita perfectionis rite ducenda summe necessarii. De effectibus iuridicis iam sermo fuit modo generali in canone primo huius Articuli.

b) Hic canon dividit praescripta iuridica quae respiciunt cooptationem temporariam ab illis quae normas tradunt circa cooptationem definitivam. Et merito, quia effectus in hoc canone descripti applicari possunt, mensura quidem diversa, tam cooptationi temporariae quam definitivae.

## CANON SEXTUS

Cooptatione definitiva sodales sacro vinculo de se perpetuo, tria consilia evangelica profitentes, vitam Deo consecrant et Instituto plene aggregantur.

*Notae:*

a) Sermo est in hoc canone — sicut et in toto Articulo et etiam alibi — de cooptatione definitiva et non de cooptatione perpetua, quia non in omnibus Institutis perfectionis habetur cooptatio perpetua. Cooptatio nempe in quibusdam Institutis remanet semper temporaria sed ut sit definitiva, saltem ex parte candidati, debet haberi intentio illam renovandi statis temporibus usque ad mortem. Propterea dicitur quod per definitivam cooptationem sodales assumunt vinculum « de se perpetuum ».

b) Ut quaelibet dubitatio vel aequivocatio circa naturam vinculi assumpti a perpetuo cooptato tollatur, dicitur expresse in canone hoc vinculum *sacrum* esse et essentialiter includere professionem *trium* consiliorum evangelicorum. Immo dici potest cooptationem fieri per professionem horum consiliorum — saltem si agatur de cooptatione definitiva.

c) Per cooptationem definitivam dumtaxat habetur plena consecratio sodalis servitio divino cum omnibus effectibus iuridicis et meta-iuridicis de quibus sermo fuit in cann. primo et quinto huius Articuli. Item per ipsam habetur plena aggregatio cooptati in Institutum cum omnibus iuribus et officiis.

## CANON SEPTIMUS

Praeter conditiones a iure particulari appositae, ut quis valide ad definitivam cooptationem admittatur, requiritur:

- 1) vigesimus primus saltem aetatis annus completus;
- 2) cooptatio temporaria saltem trium annorum;
- 3) idoneitas legitime comprobata;
- 4) admissio a competenti moderatore facta.

*Notae:*

Canon est perfecte parallelus ad canonem tertium huius Articuli, sed materia est diversa quia canon tertius conditiones statuit pro validitate cooptationis temporariae dum canon iste conditiones apponit quae requiruntur ad validam cooptationem definitivam. Structura duorum canonum est identica et conditiones sunt perspicuae ita ut ulterior expositio inutilis reddatur.

## CANON OCTAVUS

Ratio vivendi Instituto propria, praesertim quoad praxim consiliorum evangelicorum, in cooptatione ut lex vitae assumpta, iure particulari definienda est, attentis natura, indole et fine uniuscuiusque Instituti.

*Notae:*

a) Concilium Oecumenicum Vaticanum II repetitis vicibus imposuit ut Instituta perfectionis habeant et servant propriam indolem, proprium finem et proprias sanas traditiones. Hoc autem fieri non potest nisi iure particulari cuiusque Instituti ea admissim definiantur. En propterea necessitas habendi in unoquoque Instituto rationem vivendi sibi propriam quae omnia praedicta includat et determinet.

b) Sed determinatio rationis vivendi necessario, licet modo dumtaxat accidentali, praxim consiliorum evangelicorum tangit et determinat iuxta exigentias naturae, finis et indolis Instituti. Unde praescriptum huius canonis apparet admodum necessarium ad consecutionem finis a Patribus Conciliaribus intenti.

Articulus IV: *De cooptatorum institutione*

Nemo certe putaret sufficientem, potissimum hodiernis diebus, institutionem tam spiritualem et moralem quam culturalem et civicam quae usque ad completum novitiatum traditur regulariter in scholis et in Institutis perfectionis. Ideo, plana apparet necessitas protrahendi institutionem seu, ut dicitur, formationem intellectualem, moralem, theoreticam et practicam usquedum sodalis aptus efficiatur ad vitam perfectionis ducendam et ad vitam particularis Instituti in quod fuerat admissus plene agendam et finem eius attingendum.

Maxima tamen varietas Institutorum perfectionis, quae in Ecclesia orta sunt cum fine specifico omnino diverso, non parvam gignit difficultatem pro formulatione normarum quae in iure communi institutionem post cooptationem sodalibus tradendam statuere et definire debent. Alia enim debet esse institutio quae clericis ad sacerdotium adspirantibus tradenda est et alia membris alicuius Instituti Saecularis cuius scopus est servitium parochis praestare in domo paroeciali. Aliis verbis, in hac parte — sicut et in pluribus aliis — normae concretae relinquendae sunt iuri particulari cuiusvis Instituti. Ius commune dumtaxat principium statuere potest iuxta quod institutio sodalium debet esse sufficiens ad scopum intentum ac proinde post cooptationem protrahi debet usquedum sodales idonei effi-

cianitur ad finem Instituti attingendum et ad vitam perfectionis in Instituto ducendam.

Necessario igitur canones huius Articuli quarti pauci esse debent, quia ad particularia Legislator supremus in hoc campo descendere non potest. Normae enim quae in hac re omnino generales non sint omnibus Institutis perfectionis applicari non possent. Pro quibusdam tamen categoriis Institutorum aliae normae magis concretae quoad institutionem post cooptationem dari possunt quando in parte secunda Schematis Generalis sermo erit de unaquaque categoria Institutorum perfectionis.

Articulus quartus tribus tantum canonibus constat in quorum primo statuitur principium necessitatis institutionis post cooptationem et relinquatur iuri particulari quaelibet ulterior determinatio, addita cautela ut perdurante tempore institutionis sodales non impendantur per impositionem officiorum vel munerum. In secundo vero canone norma traditur quoad qualitatem institutionis tam in genere quam pro clericis in specie. Tandem in ultimo canone recolitur obligatio pro omnibus membris Institutorum perficiendi suam formationem in quolibet campo et per totam vitam. Quod a moderatoribus foveri debet mediis opportunis.

## SCHEMA CANONUM

### CANON PRIMUS

§ 1. In singulis Institutis, post primam cooptationem, sodalium institutio protrahatur ad vitam Instituti propriam plenius ducendam et ad eiusdem, missionem aptius proseguendam.

§ 2. Quapropter, ius particulare definire debet huiusmodi institutionis durationem et rationem, attentis Ecclesiae necessitatibus atque hominum temporumque conditionibus prout ab indole Instituti exigitur.

§ 3. Hoc tempore sodalibus officia et munera ne committantur quae eorundem institutionem impediunt.

### *Notae:*

Attentis iamiam expositis, nulla alia explicatio praescriptorum huius canonis adiungenda videtur.



## CANON SECUNDUS

§ 1. Institutio, a peritis tradita atque capacitati uniuscuiusque accommodata, titulis quoque congruentibus obtentis, non sit tantum spiritualis et moralis, sed praepriis theologia necnon theoretica et practica, iuxta exigentias finis et indolis Instituti.

§ 2. Institutio sodalium clericorum regitur propria Instituti ratione studiorum et iure communi.

*Notae:*

a) Etiam praescripta huius canonis sat clara remanent post expositionem datam per modum introductionis huius Articuli. Pauca proinde adiungenda sunt.

b) Hodie adoptari amplius non potest methodus in pluribus Institutis laicalibus et praesertim femininis adhibita, iuxta quam sodales immediate post novitiatum in activitatem apostolicam Instituto propriam plene vel fere plene statim immittebantur. Pro omnibus institutis religiosis mulierum S. Congregatio de Religiosis et Institutis Saecularibus proposuit institutionem iunioratus saltem duorum annorum quo perdurante sodales prosequuntur propriam formationem, regulariter cum frequentatione cursuum alicuius instituti culturae religiosae superioris. Haec methodus videtur admodum commendanda et fovenda ut extendi possit omnibus Institutis et sodalibus. Haec tamen institutio quae necessario univoca pro omnibus esse debet non sufficit, sed requiritur ut integretur, sit capacitati accommodata et respondeat exigentiis indolis et finis cuiusque Instituti.

c) Necessitas tradendi sodalibus Institutorum perfectionis solidam formationem theologicam et spiritualem ex ipsa natura vocationis ad hunc statum clare oritur. Quomodo namque sodales proficere possunt in vita perfectionis si indolem supernaturalem eorum vocationis vix agnoscant. Sed etiam ex hodiernis Ecclesiae necessitatibus demonstratur exigentia huiusmodi formationis magis completae sicut Concilium praesertim in Decreto *Perfectae Caritatis* inculcavit.

## CANON TERTIUS

Per totam vitam sodales suam culturam spiritualem, doctrinalem et technicam sedulo perficere contendant et moderatores, pro viribus, opportunitatem, adiumenta et tempus ad hoc eis procurent.

*Notae:*

In hoc ultimo canone huius Articuli in memoriam revocantur duae obligationes correlativae quae potius quam onera stricte iuridica moralem necessitatem demon-

strant ex parte sodalium semper adlaborandi ad altiore perfectionem attingendam tam uti sodales Instituti perfectionis et christiani quam uti personae humanae. Moderatoribus vero, quibus competit, peremptorie commendatur ut hanc ulteriorem perfectionem suorum sodalium possibilem et pro posse facilem reddant eis procurando media necessaria et opportuna. Maxime vero verbo et exemplo etiam in hac re adiuvent suos in Christo filios.

Titulus VI: « DE OBLIGATIONIBUS INSTITUTORUM EORUMQUE SODALIUM »

Expletis in Titulo V quae admissionem, cooptationem et institutionem sodalium respiciunt, transitus fieri debet ad considerationem obligationum eorundem sodalium. Per admissionem namque, cooptationem et formationem, sodalis ad plenam capacitatem pervenire debet vitam ducendi Instituto propriam. Sodalis scilicet suam responsabilitatem assumere potest et debet tam erga Institutum quam erga Ecclesiam et munera et officia adimplere quae ei concredi possunt a legitima auctoritate. Occasione autem arrepta hic sermo fit non tantum de obligationibus sodalium sed etiam Institutorum seu totius Communitatis.

Licet hic Titulus habeat tamquam rubricam: « De obligationibus Institutorum eorumque sodalium », minime credendum est quod omnes obligationes quae Instituta vel sodales respiciunt in hoc titulo inveniri debent vel quod in aliis titulis sermo numquam fit de huiusmodi obligationibus. Sicut iam dictum est in introductione Articuli Quarti Tituli V, in hac parte generali schematis sermo fieri non potest nisi de iis quae omnibus institutis conveniunt vel applicari possunt. Si hoc verum est de institutione quae sodalibus post cooptationem tradi debet, magis adhuc applicatur in quaestione de obligationibus. Plures enim ex his obligationibus non oriuntur in Instituto eo quod Institutum perfectionis sit sed eo quod sit « tale » Institutum perfectionis. Et idem dicendum est de obligationibus sodalium. Evidens autem est quod in hac parte de obligationibus « peculiaribus » Institutorum vel sodalium praescripta statui non debent. Locus proprius horum obligationum specialium est ius particulare cuiusvis Instituti et pro obligationibus quae communes sunt Institutis alicuius categoriae (ex. gr. monialium vel Institutorum clericalium) pars specialis schematis generalis a Coetu Studiorum approbati. Nil mirum igitur si in hoc Titulo praescripta inveniantur quoad quasdam tantum obligationes omnino generales sive Institutorum sive sodalium.

Post attentam considerationem relationum quae habentur inter obiectum huius Tituli VI et illud Tituli VII, qui inscribitur: « De Institutorum

actione apostolica», Rev.mi Consultores «parvi Coetus» unanimiter decreverunt suppressionem Tituli VII. Rationes militantes pro dicta suppressione sunt sequentes. Imprimis, si per actionem apostolicam intelligi debet quaedam activitas externa apostolatus, abs dubio locus proprius tractandi de hac quaestione non est pars generalis Schematis sed pars specialis, quia numerosa sunt Instituta quae hanc activitatem non exercent ex proposito eiusdem Instituti, uti sunt Instituta monachorum et monialium. Si vero per illam actionem apostolicam intelligi debet «officium» quod omnibus Institutis et sodalibus incumbit «impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum totius mystici Corporis Christi «iuxta propriam cuiusque vocationem» (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 33), necessarium non erit specialem titulum in hanc partem inserere, sed satis erit praescriptum de hac generali obligatione ponere in praesenti Titulo VI, nempe eam adnumerare inter obligationes generales Institutorum et sodalium. Omnibus visum est opportunum hanc secundam viam seligere et in schemate canonum huius tituli introductus est canon quartus qui de hac obligatione praecise agit.

Structura huius Tituli VI sequentem exhibet constructionem: initium fit ex obligatione fundamentali Institutorum et sodalium agnoscendi propriam vocationem eamque complendi per vitam et activitatem ei consonam. Secunda obligatio quae hic memoratur est illa fideliter servandi consilia evangelica et proprium ius particulare et ita contendere ad perfectionem proprii status. Observantia autem consiliorum evangelicorum et statutorum propriorum invenit suam veram et completam synthesim in sequela Christi, quae proinde suprema norma vitae in omnibus Institutis perfectionis esse debet. Sed vocatio ad vitam et statum perfectionis necessario includit relationem ad Ecclesiam, quam anima Deo consecrata non tantum amore prosequi sed etiam opera adiuvari debet iuxta propriam vocationem. Sequuntur obligationes quae ex unoquoque consilio evangelico oriuntur pro omnibus Institutis et pro omnibus sodalibus. Tandem statuuntur obligationes communes quae vitam Deo consecratam, sub quacumque forma expressam, respiciunt, nempe: obligatio orationis mentalis et vocalis, legendi S. Scripturam et partem habendi in celebratione S. Liturgiae, exercitia spiritualia peragendi necnon alia exercitia pietatis sive communia sive Instituto propria, frequentandi sacramenta et testimonium reddendi Christo Domino propria vita, proprio exemplo et fraterna caritate.

## SCHEMA CANONUM

## CANON PRIMUS

§ 1. Praecipuum cuiusvis Instituti officium est suam in Christo et in Ecclesia vocationem agnoscere, indolem suam peculiarem iuxta Fundatorum spiritum fideliter servare propriaque proposita, attentis temporum conditionibus, sedulo prosequi.

§ 2. Sodales vero mente recolant se professione consiliorum evangelicorum vocationi suae responsum dedisse, adeo ut, ab impedimentis quae caritatis fervorem minuere possunt liberati, Deo Eiusque regno solum vivere teneantur, iuxta propriae vocationis gratiam.

*Nota:*

Totus fere canon ex verbis Decreti *Perfectae Caritatis* est desumptus. In duabus paragraphis exprimitur obligatio veluti reciproca, quae est fundamentum totius vitae Deo consecratae. Ex parte Instituti habetur stricta obligatio agnoscendi propriam vocationem et proprium munus in Ecclesia atque alia vocationem intactam servandi in suis essentialibus elementis necnon eam in accidentalibus adaptandi ad condiciones temporum et locorum et ad Ecclesiae necessitates. Ex parte vero sodalium habetur obligatio continuo prae oculis habendi actum consecrationis servitio divino in cooptatione peractum et simul continuo adlaborandi ut, removens impedimenta, solo Deo eiusque regno vivant quod est continuo ad perfectionem sui status contendere.

Formulatio canonis non videtur difficultates graves praeseferre. Agitur de doctrina universaliter acceptata.

## CANON SECUNDUS

§ 1. Quodcumque Institutum, attentis natura et indole propriis, modum quo consilia evangelica castitatis paupertatis et oboedientiae servari debent, in propria ratione vivendi iure particulari definiat.

§ 2. Sodales vero omnes debent, non solum consilia evangelica fideliter integreque servare, sed etiam secundum propria statuta vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

*Notae:*

a) Praescriptum § 1 est directa et logica consequentia canonis primi huius Tituli et potissimum paragraphi primae illius canonis. Si enim praecipuum officium cuiusli-

bet Instituti est agnoscere et servare propriam vocationem, spiritum Fundatorum et prosequi propria proposita, necessario Institutum haec omnia in proprio iure particulari adamussim definire debet. Si haec per modum obligationis non statuantur, progressu temporis omni cum probabilitate deperdentur et ipsa unitas Instituti in periculum ponetur. In statuenda tamen propria ratione vivendi Institutum simul determinat modum servandi consilia evangelica naturae et exigentiis eiusdem Instituti accommodatum.

b) Paragraphus secunda refert quoad substantiam can. 593 ad omnes sodales Institutorum perfectionis extensum. Planum est quod vita Deo consecrata non consistit dumtaxat in observantia consiliorum evangelicorum sed etiam omnium praescriptorum iuris particularis. Ceterum communiter admissum est non dari vocationem ad vitam perfectionis in genere sed vocatio includit mancipationem servitio divino in aliquo Instituto particulari. Et ideo dubitandum non est quin observantia iuris particularis sit etiam obligatio sodalium in quolibet Instituto.

#### CANON TERTIUS

Sodales tamquam supremam vitae regulam Christi sequelam in Evangelio propositam habeant.

##### *Nota:*

Verba canonis fere omnia desumpta sunt ex Decreto Concilii *Perfectae Caritatis* n. 2, a). Unde necessaria non apparet longa canonis expositio. Ceterum iam supra expositum est hanc regulam synthesim perfectam constituere omnium normarum quae vitam consecratam respiciunt.

In Decreto *Perfectae Caritatis* sequela Christi imponitur tamquam suprema regula potius Institutis quam sodalibus («Cum vitae religiosae ultima norma sit Christi sequela in Evangelio proposita, haec ab omnibus institutis tamquam suprema regula habeatur»). Sensus est: omnia Instituta satagere debent ut rationem vitae in propriis statutis definitam et in sodalium modo vivendi expressam aliud non sit quam haec Christi sequela prout ab Evangelio proponitur. Unde obligatio sequendi Christum potius sodales directe tangit quam Instituta. Sed si Rev.mis Consultoribus opportunum videbitur normam etiam Institutis extendere nullam difficultatem inveniam.

#### CANON QUARTUS

Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam Institutorum vocationem. Attendant igitur ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies

melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel Regnum Dei annuntiantem, vel inter homines conversantem eorumque necessitatibus occurrentem, semper autem voluntati Patris qui Eum misit oboedientem.

*Nota:*

Motiva ob quae canon hic in schemate Tituli VI positus fuit exposita sunt supra in introductione huius tituli. Per hunc canonem omnibus membris institutorum perfectionis indicantur obligationes quae ex eorum vocatione oriuntur erga Ecclesiam Christi. Hae obligationes inhaerent cuilibet vocationi ad vitam consecratam, licet aliter et aliter iuxta diversitatem vocationum. Hoc bene in canone indicatum apparet tam in prima parte (...iuxta propriam Institutorum vocationem) quam in secunda (...vel in monte contemplantem... necessitatibus occurrentem...).

CANON QUINTUS

(Obligationes quae ex consilio evangelico castitatis oriuntur)

CANON SEXTUS

(Obligationes quae ex consilio evangelico paupertatis oriuntur)

CANON SEPTIMUS

(Obligationes quae ex consilio evangelico oboedientiae oriuntur)

*Notae:*

a) Rev.mi Consultores «parvi Coetus» mecum convenerunt ut pro momento canones qui statuunt obligationes ex consiliis evangelicis provenientes Coetui Studiorum non praesentarem. Agitur de re difficili tam ratione materiae quam ratione criterii adhibendi in selectione obligationum quae in hac sectione tractationis generalis poni debent. Quaedam etiam obligationes ex consiliis provenientes quae usque fere ad Concilium Vaticanum II pacifice admittebantur et sensu univoco ab omnibus accipiebantur, sunt nunc contestatae vel aliis sensibus acceptae.

b) Consentientibus igitur dictis Rev.mis Consultoribus, Coetui Studiorum propono ut, si tempus suppetat, fiat discussio de hac re in praesenti sessione et deinde, postquam Rev.mi Consultores rem bene perpenderit, votum eorum in scriptis Rev.mo Secretario Commissionis mittant quod me adjuvare poterit in selectione obligationum et formulatione canonum.

## CANON OCTAVUS

§ 1. Rerum divinarum contemplatio et continuum cum Deo commercium sodalibus servitio Dei et Ecclesiae consecratis veluti cibus cotidianus esto.

§ 2. Assidue igitur divinarum Scripturarum lectioni, sacrae Liturgiae celebrationi atque orationis mentalis et vocalis cultui vacent iuxta praescripta iuris particularis.

§ 3. Statuat insuper ius particulare annua sacri recessus tempora necnon alia periodica exercitia spiritualia.

*Notae:*

a) Agitur in hoc canone de gravi obligatione — quae potius quam obligatio intima animi exigentia dici deberet — nutriendi vitam spiritualem in omnibus sodalibus Deo per professionem consiliorum evangelicorum consecratis. Independentem ab indole specifica Institutorum perfectionis, obligationes in hoc canone statutae omnibus eorum membris applicantur. Immo, haec obligatio non potest dici specifica membris Institutorum perfectionis nisi ratione gradus, quia nempe ratione consecrationis sodales maiore obligatione tenentur in hac parte quam laici.

b) Paragraphus prima posita est ut his temporibus activismi exaggerati, etiam ex parte non paucorum sodalium Institutorum perfectionis, vocatio eorum ad contemplationem in luce ponatur et ut ipsi mente recolant finem cuiuslibet vocationis ad statum perfectionis alium non esse in hac vita quam intimiorem cum Deo unionem potissimum mediante caritate supernaturali.

c) In § 2 enumerantur praecipua media a sodalibus cum assiduitate adhibenda ut ad contemplationem et cum Deo unionem pervenire possint. Sunt media traditionalia — si excipiat emphasis in lectione S. Scripturae — a Patribus Concilii admodum commendata.

d) Quoad exercitia spiritualia opportunum visum est tantum imponere obligationem annui sacri recessus (cfr. can. 595, § 1, 1°). Ceterae determinationes iuri particulari relinquuntur ut Instituta habeant libertatem seligendi illa spiritualia exercitia quae cum indole et conditionibus eorum magis consona existimantur.

## CANON NONUS

§ 1. Enixe sodalibus commendatur ut cotidie sacrificio Eucharistico participent iuxta suam cuiusque conditionem et sanctissimum Corpus Christi recipiant.



§ 2. Ad sacramentum Poenitentiae frequenter accedant iuxta praescripta iuris particularis ( et iuxta consilia directoris spiritus).

§ 3. Aliis insuper mediis spiritualibus utantur tam communibus quam Instituto propriis, potissimum vero conscientiam suam discutiant, sanctissimum Sacramentum visitent et Deiparam Virginem, praesertim mariano rosario, colant.

*Notae:*

a) Cum hic canon non inveniebatur in schemate a me parvo Coetui Rev.morum Consultorum proposito sed mihi in ultima coadunatione commissum fuit ut formularem, examini eorum subiectus non fuit.

b) Materia canonis provenit partim ex praescriptis can. 595 C.I.C. et partim ex schemate approbato «De clericorum obligationibus et iuribus», et praesertim ex can. 125.

c) Etiam in hoc canone, sicut et in praecedenti, agitur de mediis quibus vita interna et supernaturalis consecratorum alitur et continuo vivificatur. Aliqua gradatio in canone facta est. Primus locus reservatur participationi sacrificio Eucharistico et S. Communioni, deinde fit gressus ad sacramentum Poenitentiae et tandem ad quaedam pietatis exercitia. Haec ultima sunt exercitia pietatis magis communia et traditionalia. Dari quidem potest quod quibusdam alia exercitia pietatis magis placent. Sed in hac parte magna datur optio et libertas seligendi.

CANON DECIMUS

Sodalium fraterna communio in caritate radicata et fundata aliis exemplo sit universalis in Christo reconciliationis. Omnes autem in modo sese gerendi modestiam proprii status et mansuetudinem Christi commonstrent.

*Nota:*

Hoc ultimo canone huius tituli statuitur obligatio a Patribus Concilii pluries memorata reddendi Christo testimonium de bonitate et efficacia eius doctrinae sive per communionem fraternam inter ipsos quae per fraternam caritatem compaginatur et fortificatur et sic exemplar constituit populis ut reconciliationem quaerant in Christo tamquam generis humani restauratore, sive per vitam individualement sodalium quae modestiam et mansuetudinem Christi commonstrare debet.

Qui, praeter in hoc Titulo recensitas, alias obligationes sodalibus Institutorum perfectionis imponere vellet de iis mentionem facere potest perdurante sessione vel etiam mihi vel Rev.mo Secretario Commissionis indicare.

Romae, die 21 maii 1970.

